

## D. BVDDI PRAEFATIO:

\* *Disp. de trinit. contra Meisnerum, p. 125.* *\*\* Institut. cap. XXIX, p. 196.* neris, quae apud IONAM SCHLICHTINGIVM, \* aliosque, passim occurrunt. Videntur equidem interdum ita loqui, ac si rationi parum tribuant, eiusque scitis, in rebus ad salutem aeternam spectantibus, minime standum esse, agnoscant. *Nimis periculosum fuerit,* inquit CHRISTOPHORVS OSTRODVS, *\*\* rem tanti momenti, hominis vitam, immo salutem aeternam concernentem humanae rationi et iudicio committere.* Verum haec contra animi sententiam, et ad fucum aliis faciendum ab iis proferri, non dubitabit, qui illorum in scripturam sacram commentarios inspexerit, in quibus id vnice agunt, vt scripturam rationis decretis subiiciant, eamque ita explicent, ne quid dicere videantur, quod modum limitesque rationis excedat. Sunt vero et alii, qui in eundem scopulum impingunt, et, si non in omnibus, saltem in quibusdam idem interpretandi scripturam principium sequuntur, a genuino quorundam locorum sensu non aliam ob causam discedentes, quam quod ratio, quae ceteroquin inde secutura essent, capere nequeat. Ipsoque adeo facto testantur, quod in scripturae interpretatione rationi plus, quam decebat, tribuant, etsi ceteroquin eam a se quouis modo amoliri annitantur suspicionem. Fuerunt tamen etiam, qui id aperte satis proderent, vt auctor exercitationis paradoxae, *de philosophia scripturae interprete,* in Belgio anno MDCLXVII. editae, et anno MDCLXIX. recusae, quem LVDO-

\*\*\* Vid. VICVM MEYERVM, medicum Amstelaedamensem esse ferunt, \*\*\* certatim ideo refutatus, ab ARNOLDO, VOETIO, MARELIO, VOGELSANGIO, SCHOTANO, aliisque, cum primis a LVDOVICO WOLZOGENIO in *libris II. de interprete scripturae contra exercitationem paradoxam,* Ultraiecti anno MDCLXVIII. editis.

Qui hancce interpretandi scripturam methodum sequuntur, tantum abest, vt philologiam ceteraque humanae eruditionis subsidia respuant, vt potius solicite iis, ad id, quod cupiunt, obtinendum, non tam utantur, quam abutantur. Exempli loco esse potest ea criticae artis pars, quae circa corrigenda atque emendanda corrupta auctorum loca versatur, quamue therapeuticam vocare solent. Insignem eius in sacri codicis integritate asserenda, et spuriiis lectionibus a veris ac genuinis discernendis, vsum esse, nemo, nisi rerum omnium expers, negauerit. Eoque illorum labor spectat, qui variantes sacri codicis lectiones notarunt, et collegerunt; quorum, si sobrie et caute hac in re versati sint, laudanda est industria. Nec praetermittunt hanc eruditionis partem antitrinitarii, sed solerter, si quid inde lucrari queant, captant. Immo saepissime ea abutantur grauissime, receptam lectionem vel leuissimis de causis sollicitantes, si alia via, apertissima sacrarum litterarum oracula eludendi, non pateat. Recte illud tum aliis, tum nuper viro eruditissimo G. D. T. M. D. qui elegantissimam accuratissimamque noui testamenti editionem dedit, Amstaelodami anno MDCCXI. excusam, obseruatum est. De variantium enim lectionum noui testamenti col-

\* pag. 20. lectionibus et collectoribus, verba faciens, in prolegomenis, \* *doctis quibusdam,* inquit, *oborta est suspicio, ex criticis posteriores aliquot fere in hunc finem collegisse et coaceruasse lectiones, etiam futiles saepe et orthographicas, vt fidem testamenti suspectam facerent: vel saltem istam libertatem obtinerent, ex quocumque codice adsumendi lectionem, quae ipsis eorumque dogmatibus conueniret quam maxime. Id quod de Socinianis vix dubium.* Socinianis haud sine ratione iungit STEPHANVM CVRCELLAEVM: *Idem et CVRCELLAEO a pluribus imputatur, eumque illud in variis locis (Rom. IX. & I. Ioan. V.) monstrasse.* De reliquis philologiae partibus non minus illud certum, iis Socinianos, eorumque asseclas, itidem frequenter ad errores suos tuendos abuti: quod, si opus esset, exemplis quam plurimis doceri posset. Dum autem, rationem principium interpretandi scripturam esse, negamus, neutiquam vsum eius inficiamur, quin potius, eum prorsus insignem longeque maximum esse, concedimus. Sine rationis enim vfu, nulla recte procederet interpretatio. Immo

fate-